



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 63. Cervini Cardinalis molimina pro transferendo Concilio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

Sæc. XVI.
A.C. 1546.

summus Pontifex fusiori fermone enarrat mala, quibus Ecclesia ob hæresin affligitur, postea in eodem diplomate ita effatur: *Equidem ad hæreses extirpandas Concilium inchoavimus: hæretici tamen magna animorum obstinatione & pertinacia illud contemnunt, atque recusant, ut huic igitur malo remedium afferamus, fœdus cum Cæsare pepigimus, illis ad Ecclesiæ obsequium vi, armisque adigendis. Hortamur itaque omnes in universum, ut precibus atque jejuniis, delictorum confessione, ac Cæne Dominicæ perceptione Deum reddant propitium, quo videlicet exoratus hoc bellum secundare dignetur, ad Nominis sui gloriam, Ecclesiæ decus, & hæreses profligandas susceptum.*

Propter sacri hujus anni solemnia a prima Augusti die usque ad duodecimam ejusdem mensis nulla habebatur Congregatio, ut eo liberius singuli pietatis exercitiis vacare possent.

§. LXIII.

Cervini Cardinalis molimina pro transferendo Concilio.

Interea Legati, cum omnia in nupero Conventu gesta perpenderent, atque hostilis exercitus timor indies augeretur, magis magisque in suo Synodum transferendi proposito firmabantur, hos inter

inter Marcellus Cervinus præ ceteris Cardinalibus magis moderatus, minusque suspectus, atque dissidiorum & contentionis habitæ minime conscius, Madrutium ad suas partes pertrahere, eumque eo adigere satagit, ut is Cæsarem ad comprobendam Synodi translationem induceret: Ut vero molimini optatus adspiraret successus, opera utebatur Bertani Fanensis Episcopi, qui intima familiaritate huic Cardinali junctus erat. Huic igitur præcipue hæc exposuit: *Quamvis nimis justa amovendæ Synodi causa Pontifici esset data, satius tamen foret, si pacate, & quæ Christianos decet, inter se concordia rem agerent, atque una secum suam pariter operam Madrucius conjungeret ad Cæsarem cohortandum. Ea Sedes experimento cognoscitur Concilio minime opportuna, non solum ob inopiam soli tot hominibus alendis impar, & ob cæli asperitatem plerisque noxiam, sed recenter ob strepitus ac pericula militaria, atque ob hæresis luem incolas corrumpentem; inter quos rustici, ne in suum quidem Pastorem ac Principem insolecerent, formidantur, unde fieri non potest, ut ibi diutius violenter detinerentur Episcopi: adeoque si amplius translationi obsisteretur, perinde erit, ac cuncta præcipitanter in dissolutionem agere: ea Synodus morbo laborat lethali, nec nisi per aeris mutationem sanabili.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

Pall. l. 8. c. 8.
n. 1. & seq.

fol. 1. 1. 1.
8. 1. 1.

Sæcul. XVI. *bili.* Ne vero apud Germanos Pontificis
 A.C. 1546. *urbes suspicionem præferant, poterit de-*
duci Synodus Genas, aut Lucam, civitates
liberas, & Carolo addictas.

§. LXIV.

Cæsaris oppositio per Achillem a Le-
gatis Romam missum Pontifici
nuntiata.

Pallav. l. c.
n. 2. & 3.

Bertanus Fanensis Episcopus hoc Cer-
 vini consilium arripuit, moxque
 Madrutium Cardinalem ad sollicitan-
 dum Cæsarem impulit, postea vero ip-
 sus fuit selectus, ut Legatorum nomi-
 ne Imperatorem adiret; hi autem eo-
 dem tempore Romam decreverunt Achil-
 lem de Grassis Synodi Advocatum, ac
 familiarem Cardinalis S. Floræ, qui
 absentis Farnesii Papæ Nepotis munia
 obibat. Verum Bertanus ad itineris
 initium obviam habuit Virum, qui Ma-
 drutio tum ab Epistolis erat, hæcque
 Episcopo nuntiabat: *Cum ex Oratorum*
litteris cognovisset Cæsar transferendæ Sy-
nodi consilia, vehementer commotus in mi-
nas prorupit, atque ubi hoc fieret, absque
mora se cum Lutheranis concordaturum, su-
isque prospecturum emolumentis minatus
est. His perceptis Bertanus adstipulan-
te etiam præfato Secretario, fatius fo-
 re